



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XXI. De Idolo Tricipiti destructo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

DE IDOLO TRICIPITI
destrueto.

XXI.



RANT autem in ciuitate STETINENSI concina quatuor, sed vna, quæ ex his principalis erat, mirabili cultu & artificio constructa fuit interius & exterius sculpturas habens, de parietibus prominentes imagines hominum & volucrum & bestiarum tam propriè suis habitudinibus expressas, vt spirare putarentur ac viuere; quodque rarum dixerim, colores imaginum extrinsecus nulla tempestate niuium vel imbrum fuscari vel dilui poterant, id agente industria pictorum. In hanc ædem, ex prisca patrum consuetudine captas opes & arma hostium, & quidquid ex præda nauali vel terrestri pugna quæsitum erat, sub lege decimationis congregabant, crateres etiam aureos vel argenteos, in quibus augurari epulari & potare nobiles solebant ac potentes, in diebus solennitatum, quasi de sanctuario proferendos, ibi collocauerunt, cornua etiam grandia taurorum agrestium deaurata & gemmis intexta, potibus apta, & cornua cantibus apta, mucrones, & cultros, multamque suppellectilem preciosam, raram & visu pulchram, in ornatum & honorem Deorum suorum ibi conseruabant, quæ omnia Episcopo & Sacerdotibus, vbi fanum dirutum fuerat, danda censebant. Sed ille, Absit à me inquit, vt à vobis ditemur, nam talia & his meliora domi nobis abundant: vos ea potius quorum sunt in vestros vsus cum Dei benedictione distribuite. Et aqua benedicta omnia conspergens, & sanctæ CRVCIS super ea benedictione facta, iussit, vt inter se illa diuideret. Erat autem ibi simulachrum triceps quod in vno corpore tria capita habens, TRIGLAUS vocabatur: quod solum accipiens ipsa capitella sibi coherentia

herentia, corpore comminuto, secum inde quasi pro trophæo asportauit, & postea Romam pro argumento conuersionis illorum transmisiit, scilicet ad videndum domino Apostolico & vniuersali Ecclesie, quid ipse illius obedientiarum vellendo & plantando, ædificando & destruendo, apud gentem illam profecisset. Tres vero aliarum concinarum minus venerationis habebant, minusque ornatae fuerant: Sedilia tantum intus in circuitu extructa erant, & mensæ: quia ibi conciliabula & conuentus suos habere soliti erant. Nam siue potare, siue ludere, siue seria sua tractare vellent, in easdem ædes certis diebus veniebant & horis. Erat præterea ibi quercus ingens & frondosa & fons subter ea amœnissimus, quam plebs simplex numinis alicuius inhabitacione sacram æstimas, magna veneratione colebat. Hæc etiam Episcopus cum post destructas cõcinas incidere vellet rogatus est à populo ne faceret. Promittebant enim se nunquam vltorius sub nomine religionis nec arborem illam colituros nec locum; sed solius umbræ atque amœnitatis gratia, quia hoc peccatum non sit, saluare illam potius quàm saluari ab illa se velle. Qua suscepta promissione, Acquiesco, inquit Episcopus de arbore: sed illum vnum, numen vnum sortium vestrarum de medio tolli oportet: quia nec augurium, nec sortilegium exercere Christianis licet.

Perem. 1

DE SORTILEGIIS ET AV-
gurijs penitus abrais.



HABEBANT enim caballum miræ magnitudinis & pinguem, nigri coloris, & acrem valde. Iste toto anni tempore vacabat, tantæque fuit sanctitatis, vt nullum dignaretur sessorem; habuitque vnum

XXII.

Fff

de